



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**

Canticvm Trivm Pverorvm. Benedicte omnia opera. Daniel. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Ergo huius Domini populum ne spernite gentes,  
 Quodque habeat talem tollite laude Deum.  
 Seruorum quoniam vindex pius ille suorum,  
 Et vehemens fusi sanguinis vltor erit.  
 Ipsorum sæuo vindictam sumet ab hoste,  
 Perdet & ofores, subiicietque neci.  
 Nempe suo clemens populo placabitur, atque  
 Ipsius patrios lætificabit agros.

## CANTICVM TRIVM PVERORVM.

*Benedicite omnia opera.**Daniel. 3.*

**P**incipis æterni, Dominiq̄ue opera omnia vestra  
 Grata creatorem concelebrate Deum.  
 Illum magna sublimem extollite laude,  
 Nec finite officium hoc finiat vlla dies.  
 Angelicæ turmæ Regi benedicite vestro:  
 Authoremq̄ue polus laudet vterque suum.  
 Vos etiam Domino purè benedicite lymphæ,  
 Quas superinfusas arduus æther habet.  
 Virtutum cunei, Dominiq̄ue exercitus omnis,  
 Cunctaq̄ue bellatrix, armipotenſq̄ue manus:  
 Sol, luna, immenso præbentes lumina mundo,  
 Quorquor & æthereo statis in orbe faces:  
 Qui petitis terras lapsi de nubibus imbres,  
 Ros quoque, cælestem glorificate Deum.  
 Flamina ventorum grauidas agitantia nubes,  
 Æstates, hyemes, feruor, & ignis edax:  
 Vtilis humor agris rores, canæque pruina,  
 Pigraq̄ue concreto frigora mista gelu:  
 Quasque rigēs dat bruma niues, lapidosaq̄; grādo  
 Tempora somniferæ noctis, & alma dies:

Candi.

Candida lux, furuæque Deum laudate tenebræ,  
 Nubilaque & rutilo fulgura missa polo.  
 Terra ferax illum teneat per secula morem,  
 Ut Dominum summæ laudis honore colat.  
 Excelsi montes, humilique cacumine colles,  
 Et quicquid tellus germinis alma fouet.  
 Muscoli fontes, tundens sua littora pontus  
 Adsonet immenso, & flumina curua Patri.  
 Immanes ceti, pisces, & quicquid in vndis  
 Reptitat, aut pennis quicquid inane secat:  
 Herbilegæ pecudes cunctæ, mitesque, feræque,  
 Insuper humana vos quoque stirpe sati;  
 Reddite certatim præconia digna potenti  
 Cælicolum Domino, vocis & omne decus.  
 Abrami soboles hunc læto prædicet ore,  
 Atque exultandi non sinat esse modum.  
 Sacrificū quoque turba virūm, quos nobile germen  
 Edidit Aronis, tuque ministra cohors.  
 Hunc mentes, animæque canant, celebrentq; piorū,  
 Cum sanctis, quorum pectore fastus abest.  
 At vos Anania, Mizaël, Azariaque,  
 Illius in laudes maxima causa vocat.  
 Qui vos seruauit rapido fornacis ab igne,  
 Corpora roranti flamine vestra tegens,  
 Ut neque flamma vorax molles violarit amictus,  
 Vltio nec teneras carpserit vlla comas.

## CANTICVM TOBIÆ.

*Magnus es Domine in æternum.*

*Tob. 13.*

**M**agnus in æternū Domine es, nulloq; sub quo  
 Imperij meta est vlla futura tui.

Percu-